

10. POMPONIUS, lib. 1, ad Sabinum.  
Nullus idoneus testis in re<sup>23</sup> sua intelligitur.  
11. *Idem*, lib. 33, ad Sabinum.  
Ad fidem rei gesta<sup>24</sup> faciendam etiam non rogatus testis intelligitur.  
12. ULPIANUS, lib. 37, ad Edictum.  
*Ubi numerus* testium non adicitur, etiam duo sufficient: pluralis enim eloquio duorum<sup>24</sup> numero contenta est.  
13. PAPINIANUS, lib. 1, de Adulteriis.  
Quæsitus scio, an in publicis judiciis *calumniae damnati* testimonium iudicio publico perhibere possunt? Sed neque lege Remmia prohibentur: et Julia lex de vi, et repetundarum, et peculatus, eos homines testimonium dicere non vetuerunt: verumtamen, *quod legibus ommissum est, non omittitur religione iudicantium*: ad quorum officium pertinet, ejus quoque testimonii fidem, quod integrè frontis homo dixerit, perpendere.

14. *Idem*, lib. singul. de Adulteriis.  
Scio quidem tractatum esse, an ad testamentum faciendum adhiberi possit *adulterii<sup>25</sup> damnatus*? Et sane juste testimonii officio ei interdicetur. Existimo ergo neque jure civili testimonium valere, ad quod hujusmodi testis processit; neque jure prætitorio, quod jus civile subsequitur<sup>26</sup>: ut neque hereditas adiri, neque bonorum possessio dari possit.  
15. PAULUS, lib. 3 Sententiarum.  
*Repetundarum<sup>27</sup> damnatus*, nec ad testimonium adhiberi potest. — § 1. *Hermaphroditus<sup>28</sup>* an ad testamentum adhiberi possit, qualitas sexus incalescentis ostendit.  
16. *Idem*, lib. 3 Sententiarum.  
Qui falso vel varie testimonia dixerunt, vel utrique parti prodiderunt, a iudicibus competenter puniuntur.  
17. ULPIANUS, lib. singul. Regularum.  
Pater, et filius qui in potestate ejus est, item duo fratres qui in ejusdem patris potestate sunt, testes utrique<sup>29</sup> in eodem testamento, vel eodem negotio fieri possunt: quoniam nihil nocet, ex una domo plures testes alieno negotio adhiberi.

18. PAULUS, lib. 2, de Adulteriis.  
Ex eo, quod prohibet lex Julia de adulteriis, testimonium dicere condemnatam<sup>30</sup> mulierem, colligitur, etiam *mulieres* testimonii in iudicio dicendi jus habere.  
19. ULPIANUS, lib. 8, de officio Proconsulis.  
*Invitè* testimonium non dicunt publicani: item is, qui non detractandi testimonii causa abierit: item is, qui quid exercitii præbendum conduxerit. — § 1. Sed nec pupillis<sup>31</sup> testimonium denunciari potest.  
20. VENULEIUS, lib. 2, de Judiciis publicis.  
In testimonium accusator citare non debet eum, qui iudicio publico reus erit, aut qui minor viginti annis erit.  
21. ARCADIVS, qui et Charisius, lib. singul. de Testibus.  
Ob carmen formosum<sup>32</sup> damnatus instabilis<sup>33</sup> fit. — § 1. Illud quoque incunctabile est, ut, si res exigat, non tantum privati, sed etiam magistratus, si in præsentibus sint, testimonium dicant. Item senatus censuit, prætores testimonium dare debere in iudicio adulterii causa. — § 2. Si ea rei conditio sit, ubi hærenarius testem, vel similem personam admittere cogimur, sine tormentis testimonio ejus credendum non est. — § 3. Si testes omnes ejusdem honestatis et existimationis sint, et negotii qualitas ac iudicis motus cum his concurrat, sequenda sunt omnia testimonia: si vero ex his quidam [eorum] aliud dixerint, licet impari numero, credendum est: sed quod natura negotii convenit, et quod inimicitiae aut gratiæ suspicione caret: confirmabitque iudex motum animi sui ex argumentis et testimoniis, et quæ rei aptiora, et vero proximiora esse comperit: non enim ad multitudinem respici oportet, sed ad sinceram testimoniorum fidem, et testimonia quibus potius lux<sup>34</sup> veritatis adsistit.  
22. VENULEIUS, lib. 2, de officio Proconsulis.  
Curent magistratus cuiusque loci, testari volentibus et se ipsos et alios

23. L. 10, C. cod. — 24. L. 217, in fin. inf. de verb. sign. — 25. L. 18, inf. h. t. — 26. L. 7, in fin. sup. de iust. et iur. — L. 11, sup. de pæser. verb. — 27. L. 20, § 5, inf. qui testam. facere. — 28. L. 10, sup. de statu homin. — 29. L. 22, in pr. inf. qui testam. facere, § 8, iust. de testam. — 30. L. 20, § 6, iur. qui testam. facere; *adde* L. 14, sup. h. t. — 31. L. 3, § 5, sup. cod. — 32. L. 18, in fin. inf. qui testam. facere; *adde* L. 5, § 2, inf. de injur. — 33. L. 2, inf. qui testam. facere. — 34. L. 13, sup. de probat. — 35. L. 5, C. h. t. — 36. *Excep.* l. 8, § 6, C. de repud.

testes vel signatores præbere: quo facilius negotia explicentur, et probatio rerum salva sit.  
23. *Idem*, lib. 1, de Judiciis publicis.  
Produci testis is non potest, qui ante in eum reum testimonium dixit.  
24. PAULUS, lib. 3 Sententiarum.  
Testes eos, quos accusator de domo<sup>35</sup> produxerit, interrogari non placuit<sup>36</sup>.  
25. ARCADIVS [qui et Charisius] lib. singul. de Testibus.  
*Mandatis* cavetur, ut *præsides attendant, ne patrini in causa, cui patrocinium præstiterunt, testimonium dicant*: quod et in executoribus negotiorum observandum est.

TIT. VI.

DE JURIS ET FACTI IGNORANTIA.

1. PAULUS, lib. 44, ad Edictum.  
Ignorantia vel facti, vel juris est. — § 1. Nam si quis nesciat<sup>2</sup> decessisse eum, cujus bonorum possessio defertur, non credit ei tempus. Sed si sciat quidem defunctum esse cognatum, nesciat autem proximitatis nomine bonorum possessionem sibi deferri; aut se sciat scriptum heredem, nesciat autem quod scriptis<sup>3</sup> heredibus bonorum possessionem prætor promittit: credit<sup>4</sup> ei tempus, quia in iure errat. Idem est, si frater consanguineus defuncti credat matrem potiore esse<sup>5</sup>. — § 2. Si quis nesciat se cognatum esse, interdum in iure, interdum in facto errat: nam, si et liberum se esse et ex quibus natus sit sciat, iura autem cognationis habere [se] nesciat, in iure errat. At si [quis] forte expositus quorum parentium esset ignoret, fortasse et serviti alicui putans se servum esse, in facto magis quam in iure errat. — § 3. Item si quis sciat quidem alii delatam esse bonorum possessionem, nesciat autem ei tempus præterisse bonorum possessionis, in facto errat. Idem est, si putet eum bonorum possessionem accepisse. Sed si sciat eum non petisse, tempusque ei præterisse, ignoret autem sibi ex successorio capite competere bonorum possessionem, cedet ei tempus, quia in iure errat. — § 4. Idem dicemus, si ex esse heres institutus non putet se bonorum possessionem petere posse ante apertas tabulas: quod si nesciat esse tabulas, in facto errat.  
2. NERATIUS, lib. 3 Membranarum.  
In omni parte error in iure non eodem<sup>6</sup> loco, quo facti ignorantia, haberi debet: cum jus finitum et possit esse, et debeat; facti interpretatio plerunque etiam prudentissimos fallat.  
3. POMPONIUS, lib. 3, ad Sabinum.  
Plurimum interest, utrum quis de alterius<sup>7</sup> causa et facto non sciret, an de iure suo ignorat. — § 1. Sed Cassius *ignorantiam* Sabinum ita accipiendam existimasse refert, non perdidit et nimium securi<sup>8</sup> hominis.  
4. *Idem*, lib. 13, ad Sabinum.  
Juris ignorantiam in usucapione negatur<sup>9</sup> prodesse: facti vero ignorantiam prodesse constat.  
5. TERENTIUS CLEMENS, lib. 2, ad legem Juliam et Papiam.  
Iniquissimum videtur, cuiquam scientiam alterius quam suam nocere: vel ignorantiam alterius alii profuturam.  
6. ULPIANUS, lib. 18, ad legem Juliam et Papiam.  
Nec supina<sup>10</sup> ignorantia ferenda est factum ignorantis: ut nec scrupulosa<sup>11</sup> inquisitio exigenda: scientia enim hoc modo æstimanda est, ut neque negligentia crassa, aut nimia securitas satis expedita sit, neque delatoria curiositas exigatur.  
7. PAPINIANUS, lib. 19 Questionum.  
Juris<sup>12</sup> ignorantia non prodest acquirere volentibus, suum vero peitentibus non nocet.  
8. *Idem*, lib. 4 Definitionum.  
Error facti ne maribus quidem in damnis vel compendiis obest: juris

TIT. VI. — 1. Lib. 1, C. 18 — 2. L. 8, C. qui admittit ad honor. possess. — 3. L. 2, § 4, inf. de honor. possess. secund. tabul. — 4. L. 10, inf. de honor. possess. — 5. L. 4, C. ad Sc. Tertull. § 5, iust. cod.; *mutat.* L. ult. in pr. C. cod. N. 22, c. 47, in fin.; N. 13, c. 3 — 6. L. 29, § 1, sup. mandati. — 7. L. ult. in fin. inf. pro suo. — 8. L. 6, inf. h. t. — 9. L. 31, in pr. inf. de usurp. et usucap. — 10. L. 4, inf. quod vi aut clam. — 11. *Immo vide* L. 5, § 9, sup. de in rem veis. — 12. L. 31, in pr. inf. de usurp. et usucap.

autem error nec<sup>13</sup> feminis in compendiis<sup>14</sup> prodest: cæterum omnibus juris error in damnis amittendæ rei suæ non nocet.  
9. PAULUS, lib. singul. de juris, et facti Ignorantia.  
Regula est, *juris<sup>15</sup> quidem ignorantiam cuique nocere, facti vero ignorantiam non nocere*. Videamus igitur in quibus speciebus locum habere possit: ante præmissa, quod minoribus<sup>16</sup> vigentiquinque annis [jus] ignorare permittitur est: quod et [in] feminis<sup>17</sup> in quibusdam causis propter sexus infirmitatem dicitur: et ideo sicubi non est delictum, sed juris ignorantia, non læduntur. Hac ratione, si minor vigentiquinque annis filiofamilias<sup>18</sup> crediderit, subvenitur ei, ut non videatur filiofamilias credidisse. — § 1. Si filiofamilias miles a commilitione heres institutus, nesciat sibi etiam sine patre licere adire, per constitutiones principales facti ignorare potest: et ideo ei dies additionis non credit. — § 2. Sed *facti ignorantia* ita dicitur cuique non nocet, si non ei summa negligentia objiciatur: quid enim, si omnes in civitate sciant, quod ille solus<sup>19</sup> ignorat? Et recte Labeo definit, scientiam neque curiosissimam, neque negligentissimam hominis accipiendam: verum ejus qui eam rem diligenter inquirendo notam habere possit. — § 3. Sed *juris ignorantiam* non prodesse, Labeo ita accipiendam existimat, si jurisconsulti<sup>20</sup> copiam haberet, vel sua prudentia instructus sit: ut, cui facile sit scire, ei detrimentum sit juris ignorantia: quod raro accipiendum est. — § 4. Qui ignoravit dominum esse rei venditorem, plus in re<sup>21</sup> est, quam in existimatione mentis: et ideo tametsi existimet, se non a domino emere, tamen, si a domino ei tradatur, dominus efficitur. — § 5. Si quis jus ignorans, lege<sup>22</sup> Falcidia usus non sit, nocere ei dicitur epistula divi Pii. Sed et imperatores Severus et Antonius in hæc verba rescripserunt: *Quod ex causa fideicommissi indebitum datum est, si non per errorem<sup>23</sup> solum non potest: quamobrem Caijuliani heredes, qui, cum ex testamento ejus pecuniam ad opus aqueductus reipublicæ Circensium relictam solverint, non solum cautiones non exegerunt, quæ interponi solent, ut quod amplius cepissent municipales, quam per legem Falcidiam licuisset, redderent: verum etiam stipulati sunt, ne ea summa in alios usus converteretur, et scientes prudentesque passi sunt eam pecuniam in opus aqueductus impendi: frustra postulant reddi sibi a republica Circensium, quasi plus debito dederint: cum sit utrumque iniquum, pecuniam, quæ ad opus aqueductus data est, repeti, et rempublicam ex corpore patrimonii sui impendere, [et] in id opus, quod votum alienæ liberalitatis gloriæ representent. Quod si ideo repetitionem ejus pecunie habere credunt, quod imperitia lapsi legis Falcidiæ beneficio usi non sunt: scientiam ignorantiam facti, non juris prodesse: nec stultis solere succurri, sed errantibus. Et licet municipum mentio in hac epistula fiat, tamen et in qualibet persona idem observabitur. Sed nec, quod in opere aqueductus relicta esse pecunia proponitur, in hunc solum casum cessare repetitionem dicendum est: nam initium constitutionis generale est: demonstrat enim, si non per errorem solum sit fideicommissum quod indebitum fuit, non posse repeti. Item et illa pars aequæ generalis est, ut qui juris ignorantia legis Falcidiæ beneficio usi non sunt<sup>24</sup>, nec possint repetere: ut secundum hoc possit dici, etiam si pecunia, quæ per fideicommissum relicta est, quæque soluta est, non ad aliquid faciendum relicta sit, et licet consumpta non sit, sed exstat apud eum cui soluta est, cessare repetitionem.*

10. PAPINIANUS, lib. 6 Responsorum.  
Impuberes sine tutore agentes, nihil posse scire intelleguntur.

LIBER VICESIMUSTERTIUS.

TIT. I.

DE SPONSALIBUS.

1. FLORENTINUS, lib. 3 Institutionum.  
Sponsalia, sunt mentio et repromissio nuptiarum futurarum.

13. L. 6, C. qui admittit ad honor. possess. — 14. Arg. L. 110, in fin. inf. de reg. jur. — L. 11, L. ult. C. h. t. — 15. in fin. inf. licet et C. cod. — L. 10, inf. de honor. possess. — L. 11, § 4, sup. de his, qui notantur infam. — L. 29, § 1, sup. mandati. — 16. L. 11, C. h. t. L. pen. C. de in integr. restit. minor. — L. ult. C. si advers. soluti. — L. 5, § 2, sup. de Sc. Macedon. — 17. L. 8, sup. h. t. — 18. L. 11, in fin. sup. de tutor. — L. 29, sup. de condit. indeb. — 19. L. 7, in fin. sup. h. t. — 20. N. Leon. 109. — 21. L. 59, inf. de ritu nupt. et tit. C. de interd. matrim. inter pupill. et tut.; *vide* tamen L. 36, inf. de ritu nupt. — 22. L. 60, § 5, inf. d. t.

2. ULPIANUS, lib. singul. de Sponsalibus.  
*Sponsalia* [autem] dicta sunt a *spondendo*: nam moris fuit veteribus stipulari, et spondere sibi uxores futuras.  
3. FLORENTINUS, lib. 3 Institutionum.  
Unde et *sponsi sponsæque* appellatio nata est.  
4. ULPIANUS, lib. 33, ad Sabinum.  
Sufficit nudus consensus ad constituenda sponsalia. — § 1. Denique constat, et absentis<sup>2</sup> absentem desponderi posse: et hoc cotidie fieri.  
5. POMPONIUS, lib. 10, ad Sabinum.  
Hæc ita, si scientibus his, qui absint, sponsalia fiant, aut si postea ratum habuerint.  
6. ULPIANUS, lib. 36, ad Sabinum.

Si puellæ tutores adfinienda sponsalia nuncium miserunt, non putarem suffecturum ad dissolvendam nuptiarum spem<sup>3</sup> hunc nuncium: non magis, quam sponsalia posse eos solos constituere: nisi forte omnia ista ex voluntate puellæ facta sint.  
7. PAULUS, lib. 33, ad Edictum.  
In sponsalibus nihil interest, utrum testatio interponatur, an aliquis sine<sup>4</sup> scriptura spondeat. — § 1. In sponsalibus etiam *consensus* eorum exigendus est, quorum in nuptiis<sup>5</sup> desideratur: intellegi tamen semper filia patrem *consentire*, nisi evidenter dissentiat, Julianus scribit.  
8. GAIVS, lib. 11, ad Edictum provinciale.

Furor quin sponsalibus<sup>6</sup> impedimento sit, plus quam manifestum est: sed postea interveniens sponsalia non infirmat.  
9. ULPIANUS, lib. 33, ad Edictum.  
Quæsitus est apud Julianum, an sponsalia sint, ante duodecimum annum si fuerint nuptiæ collatæ? Et semper Labeonis<sup>7</sup> sententiam probavi, existimantis, si quidem præcesserint sponsalia, durare ea, quamvis in domo loco nuptæ esse ceperit: si vero non præcesserint, hoc ipso quod in domum deducta est, non videri sponsalia facta: quam sententiam Papinianus quoque probat.  
10. *Idem*, lib. 3 Disputationum.

In potestate manente filia, pater sponso nuncium remittere potest<sup>8</sup>, et sponsalia dissolvere: enimvero si emancipata est, non potest neque nuncium remittere, neque quæ dotis causa data sunt condicere: ipsa enim filia nubendo efficiet dotem esse, conditionemque extinguet, quæ, causa non secuta, nasci poterit: nisi forte quis proponat, ita dotem patrem pro emancipata filia dedisse, ut si nuptiis non consentiret [vel contractis, vel non contractis], repeteret, quæ dederat: tunc enim habebit repetitionem.

11. JULIANUS, lib. 16 Digestorum.  
Sponsalia, sicut nuptiæ, consensu contrahentium fiunt: et ideo, si cui nuptiis, ita sponsalibus filiofamilias<sup>9</sup> consentire oportet.  
12. ULPIANUS, lib. singul. de Sponsalibus.  
Sed, quæ patris voluntati non repugnat, *consentire* intellegitur. — § 1. Tunc autem solum dissentienti a patre licentia filix conceditur, si indignum moribus, vel turpem sponsum ei pater eligat.  
13. PAULUS, lib. 3, ad Edictum.  
Filiofamilias dissentiente, sponsalia nomine ejus fieri non possunt.  
14. MODESTINUS, lib. 4 Differentiarum.

In sponsalibus contrahendis ætas contrahentium definita non est, ut in matrimoniis: quapropter [et] a primordio ætatis sponsalia effici possunt: si modo id fieri ab utraque persona intellegatur, id est, si non sint minores, quam septem<sup>10</sup> annis.  
15. *Idem*, lib. singul. de enucleatis Casibus.  
Tutor factam pupillam suam nec ipse uxorem ducere, nec filio suo in matrimonio adjungere potest<sup>11</sup>: scias tamen, quod de nuptiis tractamus, et ad<sup>12</sup> sponsalia pertinere.

16. ULPIANUS, lib. 3, ad legem Juliam et Papiam.  
Oratio imperatorum Antonini et Commodi, quæ quasdam nuptias in personam senatorum inibuit, de sponsalibus nihil locuta est: recte tamen

hered. — 22. L. 9, C. ad leg. Falcid. — 23. L. 7, C. de condit. indeb. — 24. d. L. 9. — 1. Tit. I. — 2. Lib. 3, C. v. — 3. L. ult. inf. h. t. — 3. L. 18, § 5, inf. ad leg. Jul. de adult. — 4. *Adde* L. 9, C. de nupt. — 5. L. 2, inf. de ritu nupt. — 6. *Adde* L. 16, in fin. inf. d. t. — 7. L. 29, § 27, inf. de donat. inter vir. et uxor. — 8. L. 2, in fin. inf. de divort. — 9. l. 5, L. 7, in fin. sup. h. t. — 10. N. Leon. 109. — 11. L. 59, inf. de ritu nupt. et tit. C. de interd. matrim. inter pupill. et tut.; *vide* tamen L. 36, inf. de ritu nupt. — 12. L. 60, § 5, inf. d. t.

men dicitur, etiam sponsalia in his casibus ipso jure nullius esse momenti: ut suppleatur, quod orationi deest.

17. GAIVS, lib. 1, ad legem Juliam et Papiam.

Sape jus ac necessariae cause non solum annum, vel biennium, sed etiam triennium, et quadriennium, et ulterius trahunt sponsalia: veluti valetudo sponsi sponsae, vel mortis parentum, aut capitalia crimina, aut longiores peregrinationes quae ex necessitate fiunt.

18. ULPIANVS, lib. 6, ad Edictum.

In sponsalibus constituendis parvi refert, per se et coram, an per internuncium, vel per epistolam, an per alium hoc factum est: et fere plerumque conditiones interpositis personis [expediuntur.]

TIT. II.

DE RITU NUPTIARUM.

1. MODESTINVS, lib. 1 Regularum.

Nuptiae sunt conjunctio maris et foeminae, [et] consortium omnis vitae: divini et humani juris communicatio.

2. PAULVS, lib. 35, ad Edictum.

Nuptiae consistere non possunt, nisi consentiant omnes: id est, qui coeunt, quorumque in potestate sunt.

3. Idem, lib. 4, ad Sabinum.

Si nepotem ex filio, et neptem ex altero filio in potestate habeam, nuptias inter eos, [me] solo auctore contrahi posse, Pomponius scribit, et verum est.

4. POMONIUS, lib. 3, ad Sabinum.

Minorem annis duodecim nuptam, tunc legitimam uxorem fore, cum apud virum expleisset duodecim annos.

5. Idem, lib. 4, ad Sabinum.

Mulierem absenti per literas ejus, vel per nuncium posse nubere placet, si in domum ejus deduceretur: eam vero, quae abesset, ex literis vel nuncio [suo] duci a marito non posse: deductione enim opus esse in marito, non in uxoris domo, quasi in domicilium matrimonii.

6. ULPIANVS, lib. 33, ad Sabinum.

Denique Ciuna scribit: cum, qui absentem accepit uxorem, deinde reddens a cena juxta Tiberim perisset, ab uxore legendum responsum est.

7. PAULVS, lib. singulari, ad legem Falcidiam.

Idcirco potest fieri, ut in hoc casu aliqua virgo et dotem, et de dote habeat actionem.

8. POMONIUS, lib. 5, ad Sabinum.

Libertinus libertinam matrem, aut sororem, uxorem ducere non potest: quia hoc jus moribus, non legibus, introductum est.

9. ULPIANVS, lib. 26, ad Sabinum.

Si nepos uxorem velit ducere avo furente, omnimodo patris auctoritas erit necessaria: sed si pater furit, avus sapiat, sufficit avi voluntas. — § 1. Is, cujus pater ab hostibus captus est, si non intra triennium revertatur, uxorem ducere potest.

10. PAULVS, lib. 35, ad Edictum.

Si ita pater absit, ut ignoretur, ubi sit, et an sit: quid faciendum est, merito dubitatur? Et, si triennium effluerit, postquam apertissime fuerit pater ignotus ubi degit, et an superstes sit, non prohibentur liberi [ejus] utriusque sexus matrimonium vel nuptias legitimas contrahere.

11. JULIANVS, lib. 62 Digestorum.

Si filius ejus, qui apud hostes est, vel absit, ante triennium captivitas vel absentiae patris uxorem duxit; vel si filia nupsit; pater, recte matrimonium vel nuptias contrahi: dummodo eam filius ducat uxorem, vel filia tali nubat, cujus conditionem certum sit patrem non repudiarum.

13. L. 4, § 1, supr. h. t.; fac. L. 2, in pr. supr. de pact.; L. 14, in fin. supr. de constit. pecun. — Tit. II. — 1. Lib. 5, C. 4; Lib. 1, Inst. 10, § 2, § 3, supr. de justit. et jure: § 1, Inst. de patr. potest.; Inst. de iure natur. gent. et civil. in pr. — 3. Adde L. 4, C. de crimine expil. § 2, infr. cod. — 4. L. 12, in fin. C. in pr. Inst. de nupt. — 5. Adde L. 18, infr. h. t. — 6. L. 10, infr. h. t. — 7. L. 14, § 2, infr. h. t. — 8. Adde L. 11, infr. cod.; L. 12, § 3, infr. de capt. et post. fin. — 9. § 2, Inst. de nupt. — 10. d. § 9. — 11. d. § 9. — 12. § 3, in fin. Inst. cod. —

12. ULPIANVS, lib. 26, ad Sabinum.

Si qua mihi uxor fuit, deinde a me repudiata nupsit Scio, quem ego postea adrogavi, non sunt nuptiae incestae. — § 1. Inter me, et sponsam patris mei nuptiae contrahi non possunt, quamquam *noverca* mea non proprie dicatur. — § 2. Sed et per contrarium, sponsa mea patri meo nubere non poterit: quamvis *nurus* non proprie dicatur. — § 3. Si uxor mea post divortium alii nupsit, et filiam susceperit, putat Julianus, hanc quidem privignam non esse, verum nuptias ejus abstinendum. — § 4. Adoptivae sororis filiam possum uxorem ducere: *cognata* enim mea non est filia ejus, quia avunculus nemo fit per adoptionem: et ea demum cognationes contrahuntur in adoptionibus, quae legitimae essent, id est, quae agnatorum jus habent: pari ratione et sororem patris mei adoptivi possum ducere, si non fuit eodem patre nata.

13. Idem, lib. 54, ad Sabinum.

Si patrona tam ignobilis sit, ut ei honeste sint vel saltem liberti sui nuptiae, officio judicis super hoc cognoscentis hae prohiberi non debent.

14. PAULVS, lib. 35, ad Edictum.

Adoptivus filius si emancipetur, eam, quae patris adoptivi uxor fuit, ducere non potest: quia *novercae* locum habet. — § 1. Item si quis filium adoptaverit, uxorem ejusdem, quae *nurus* loco est, ne quidem post emancipationem filii ducere poterit: quoniam aliquando *nurus* ei fuit. — § 2. *Serviles* quoque *cognationes* [in] hoc jure observandae sunt: igitur suam matrem manumissis non ducet uxorem: tantundem juris est, et in sorore, et sororis filia. Idem e contrario dicendum est, ut pater filiam non possit ducere, si ex servitute manumissi sint: etsi dubitetur, patrem cum esse. Unde nec volgo quaesitam filiam pater naturalis potest uxorem ducere: quoniam *in contrahendis matrimoniis naturale jus, et pudor inspiciendus* est: contra pudorem est autem, filiam uxorem suam ducere. — § 3. Idem tamen, quod in servilibus cognationibus constitutum est, etiam in servilibus adfinitatibus servandum est: veluti, ut eam, quae in contubernio patris fuerit, quasi *novercam*, non possim ducere: et contra, eam, quae in contubernio filii fuerit, patrem quasi *nurum* non ducere: aequae nec matrem ejus, quam quis in servitute uxorem habuit, quasi socram: cum enim cognatio servilis intelligitur, quare non et adfinitas intelligatur? Sed in re dubia certius et modestius est, hujusmodi nuptias abstinere. — § 4. Nunc videamus, quomodo *noverca*, et *privigna*, et *socrus*, et *nurus* intelligantur: ut sciamus, quas non liceat ducere. Quidam *novercam* per se patris uxorem, et *nurum* filii uxorem, et *privignam* uxoris ex alio marito filiam intelligunt: sed quod ad hanc causam, verius est, nec avi uxorem, nec proavi duci posse. Duas ergo, vel plures *novercas* ducere non poterit: non mirum: nam et is, qui adoptivus est, nec naturalis patris, nec adoptivi uxorem ducere potest: [sed] et si plures uxores pater haberit, nullam earum ducere possum. Itaque *socrus* appellatione non tantum uxoris meae mater, sed et avia, et proavia intelligitur: ut nullam earum ducere possim. *Nurus* quoque appellatione non tantum filii uxor, sed et neptis, et proneptis continetur: licet quidam has *pronurus* appellent. *Privigna* quoque non solum ea mihi intelligitur, quae uxoris meae filia est, sed et neptis, et proneptis, ut nullam earum ducere possim: item ejus matrem, quam sponsam habui, non posse me uxorem ducere, Augustus interpretatus est: fuisse enim eam socram.

15. PAPIANVS, lib. 4 Responsorum.

Uxorem quondam privigni conjungi matrimonio vitrici non oportet: nec in matrimonio convenire *novercam* ejus, qui privignae maritus fuit.

16. PAULVS, lib. 35, ad Edictum.

Oratione divi Marci cavetur, *ut si senatoris filia libertino nupsisset, nec nuptiae essent*: quam et senatusconsultum secutum est. — § 1. Neptem uxorem ducere, et filius consentire debet: neptis vero si nubat, voluntas et auctoritas avi sufficit. — § 2. *Furor* contrahi matrimonium non sinit, quia consensu opus est: sed recte contractum non impedit.

17. GAIVS, lib. 11, ad Edictum provinciale.

Per adoptionem quaesita *fraternitas* consueque impedit nuptias, donec

13. Immo vide L. 17, in fin. infr. h. t. — 14. L. 25, supr. de adopt. — 15. L. 47, infr. h. t. — 16. Vide tamen L. 25, supr. de adopt. — 17. § 1, in fin. Inst. de nupt. — 18. L. 8, supr. h. t. — 19. L. 56, infr. h. t. — 20. L. 5, C. de intest. et hujul. nupt. — 21. L. 8, § 6, infr. de grad. et affim. — 22. L. 14, in pr. supr. h. t. — 23. L. 6, in pr. infr. de grad. et affim. — 24. L. 40, infr. h. t. — 25. L. 6, in fin.; L. 8, infr. de grad. et affim.; L. 4, infr. ad leg. Pompeii de paricid.; Inst. § 9, Inst. de nupt. — 26. L. 34, § ult.; L. 42, § 1, infr. h. t.; L. 9, supr. de senator. — 27. Immo vide L. 3, supr. h. t. — 28. L. 8, in pr. supr. de his qui sui vel alieni jur.; L. 8, supr. de sponsal. — 29. § 2, vers. sed si qua Inst. de nupt.

manet adoptio: ideoque eam, quam pater meus adoptavit, et emancipavit, potero uxorem ducere: aequae et si, me emancipato, illam in potestate retinuerit, poterimus jungi matrimonio. — § 1. Itaque volenti generum adoptare suadet, ut filiam emanciparet: similiter suadetur ei, qui nurum velit adoptare, ut emancipet filium. — § 2. *Amitam* quoque, et materem, item magnam quoque *amitam*, et materem magnam prohibemur uxorem ducere: quamvis magna *amita*, et matertera, quarto gradu sint. Utique autem *amitam*, et *amitam* magnam prohibemur uxorem ducere, etsi per adoptionem nobis junctae sint.

18. JULIANVS, lib. 16 Digestorum.

Nuptiae inter easdem personas nisi volentibus parentibus renovatae, justae non habentur.

19. MARCIANVS, lib. 16 Institutionum.

Capite trigesimoquinto legis Juliae, qui liberos, quos habent in potestate, injuria *prohibuerint* ducere uxores, vel nubere; (vel qui dotem dare non volunt, ex constitutione divorum Severi et Antonini) per consules, praesidesque provinciarum *cognuntur* in matrimonium collocare, et dotare. *Prohibere* autem videtur, et qui conditionem non querit.

20. PAULVS, lib. singulari, ad orationem divi Severi et Commodi.

Sciendum est, ad officium curatoris non pertinere, nubar pupilla, an non: quia officium ejus in administratione negotiorum constat: [et] ita Severus et Antoninus rescripserunt, in haec verba: *Ad officium curatoris administratio pupillae pertinet: nubere autem pupilla suo arbitrio potest*.

21. TERENTIUS CLEMENS, lib. 5, ad legem Juliam et Papiam.

Non cogitur filiusfamilias uxorem ducere.

22. CELSUS, lib. 18 Digestorum.

Si patre cogente ducit uxorem, quam non duceret si sui arbitrii esset, contraxit tamen matrimonium: quod inter invites non contrahitur: male hoc videtur.

23. Idem, lib. 50 Digestorum.

Lego Papia cavetur, *omnibus ingenuis, praeter senatores eorumque liberos, libertinam uxorem habere licere*.

24. MODESTINVS, lib. 1 Regularum.

In liberam mulieris consuetudine non concubinatus, sed nuptiae intelligendae sunt: si non corpore quaestum fecerit.

25. Idem, lib. 2 Regularum.

Filius emancipatus etiam sine a consensu patris uxorem ducere potest, et susceptus filius ei heres erit.

26. Idem, lib. 3 Responsorum [respondit].

Reas adulterii factas, nec ante damnationem vivente marito uxores duci posse.

27. ULPIANVS, lib. 5, ad legem Juliam et Papiam.

Si quis in senatorio ordine agens libertinam habuerit uxorem, quamvis interim uxor non sit, attamen in ea conditione est, ut si amiserit dignitatem, uxor esse incipiat.

28. MARCIANVS, lib. 10 Institutionum.

Invitum libertam uxorem ducere patronus non potest.

29. ULPIANVS, lib. 5, ad legem Juliam et Papiam.

Quod et Ateius Capito consulatu suo fertur decrevisse: hoc tamen ita observandum est, nisi patenus ideo eam manumisit, ut uxorem eam ducat.

30. GAIVS, lib. 2, ad legem Juliam et Papiam.

Simulatae nuptiae nullius momenti sunt.

31. ULPIANVS, lib. 6, ad legem Juliam et Papiam.

Si senatori indulgentia principis fuerit permixtum libertinam justam uxorem habere, potest justa uxor esse.

30. L. 5, infr. de grad. et affim.; L. 35, § 1, infr. de verb. oblig.; L. 9, in fin. infr. de libert. et posthum.; 31. § 2, in fin. Inst. de nupt.; L. 17, C. cod. — 32. § 5, Inst. cod. — 34. L. 1, § 6; L. 10, § 15, infr. de grad. et affim. — 35. § 5, Inst. de nupt.; Immo vide L. 12, in fin. supr. h. t. — 36. L. 7, C. de nupt.; adde L. 2, supr. h. t. — 37. L. ult. vers. neque enim legis. C. de dot. promiss.; 38. L. 8, C. de nupt.; adde L. 6, supr. de sponsal. — 39. L. 13, § 14, C. de nupt.; vide tamen L. 22, infr. h. t. — 40. L. 28, C. de nupt. — 41. Hoc abrogat. N. 78, c. 5. — 42. L. 5, in pr. infr. de concubin.; 43. Vide tamen N. 74, c. 5. — 44. L. 5, § 5, infr. de honor. possess. contra tab. — 45. Arg. L. 14, C. de nupt. — 46. L. 31, infr. h. t. — 47. L. 13, C. de nupt.; L. 34, infr. de oblig. et act. — 48. Inst. L. ult. supr. de statu homin.; 49. L. 5, infr. de divort. — 50. L. 31, infr. de jure dot. — 51. L. 16, in pr. supr.

32. MARCELLUS, lib. 1, ad legem Juliam et Papiam.

Sciendum est, libertinum qui se ingenuo dedit adrogandum, quamvis in ejus familia ingenui jura sit consecutus, ut libertinum tamen a senatoris nuptiis repellendum esse.

33. Idem, lib. 5, ad legem Juliam et Papiam.

Plerique opinantur, cum eadem mulier ad eundem virum revertatur, id matrimonium idem esse: quibus adsentior, si non multo tempore interposito reconciliati fuerint: nec inter moras aut illa alii nupsit, aut hic aliam duxerit: maxime si nec dotem vir reddiderit.

34. PAPIANVS, lib. 4 Responsorum.

Generali mandato *quaerendi mariti filiae familias*, non fieri nuptias, rationis est: itaque personam ejus patri demonstrari, qui matrimonio consenserit, ut nuptiae contrahantur, necesse est. — § 1. Ream adulterii, quam vir jure mariti postulavit, non prohibetur post abolitionem uxorem denuo ducere: sed et si non jure mariti ream postulavit, jure contractum matrimonium videbitur. — § 2. Inter privignos contrahi nuptiae possunt, etsi fratrem communem ex novo parentum matrimonio susceptum habeant. — § 3. Filiam senatoris nuptias libertini secutam, patris casus non faciat uxorem: nam quaesita dignitas liberis, propter crimen patris auferenda non est.

35. Idem, lib. 6 Responsorum.

Filiusfamilias miles matrimonium sine patris voluntate non contrahit.

36. PAULVS, lib. 5 Quaestionum.

Tutor, vel curator adultam [uxorem] ducere non potest: nisi a patre desponsa, destinatave, testamentove nominata conditione nuptiis, secuta fuerit.

37. Idem, lib. 7 Responsorum.

Libertum curatoris puellae prohiberi oportet uxorem eandem ducere.

38. Idem, lib. 2 Sententiarum.

Si quis officium in aliqua provincia administrat, inde oriendam, vel ibi domicilium habentem uxorem ducere non potest, quamvis sponsare non prohibeatur: ita scilicet, ut, si post officium depositum noluerit mulier nuptias contrahere, liceat ei hoc facere, aris tantummodo redditus quas acceperat. — § 1. Veterem sponsam in provincia, quam quis administrat, uxorem ducere potest: et dos data non sit caudea. — § 2. Qui in provincia aliquid administrat, in ea provincia filias suas in matrimonium collocare, et dotem constituere non prohibetur.

39. Idem, lib. 6, ad Plautium.

Sororis proneptem non possum ducere uxorem: quoniam parentis loco ei sum. — § 1. Si quis ex his, quas moribus prohibemur uxores ducere, duxerit, incestum dicitur committere.

40. POMONIUS, lib. 4, ex Plautio.

Aristo respondit, *privignae* filiam non magis uxorem duci posse, quam ipsam *privignam*.

41. MARCELLUS, lib. 50 Digestorum.

Probrum intelligitur etiam in his mulieribus esse, quae turpiter viverent, volgoque quaestum facerent, etiam si non palam. — § 1. Et si qua se in concubinato alterius quam patroni tradidisset, *matrifamilias* honestatem non habuisse dico.

42. MODESTINVS, lib. singulari de Ritu nuptiarum.

Semper in conjunctionibus non solum quid liceat considerandum est, sed et quid honestum sit. — § 1. Si senatoris filia, neptis, proneptis libertinam, vel qui artem ludicram exercuit, cujusve pater materve id fecerit, nupsit, nuptiae non erunt.

43. ULPIANVS, lib. 1, ad legem Juliam et Papiam.

*Palam* quaestum facere dicemus, non tantum eam quae in lupanario se prostituit, verum etiam si qua, ut adsolet, in taberna capponia, vel

h. t. — 52. L. 9, supr. de senator. — 53. L. 26, infr. de pren. — 54. Arg. L. 1, in pr. infr. de obsequ. parent. — 55. L. 7, C. de interd. matrim.; L. 15, supr. de sponsal.; L. 64, § 1, infr. h. t. — 56. L. 66, in pr. infr. cod.; L. 7, in pr. infr. ad leg. Jul. de adult.; L. 6, C. de interd. matrim.; 57. L. 66, § 1, infr. h. t. — 58. L. 57, in pr.; L. 63, infr. cod.; L. 5, § 3, infr. de donat. inter vir. et uxore.; L. 6, C. de nupt.; 59. Immo vide N. Leon. 35. — 60. L. 65, in fin. infr. h. t. — 61. Inst. L. un. C. si reat. provinc. — 62. Hoc mutat. N. Leon. 25. — 63. L. 17, C. de nupt.; L. ult. C. si nupt. ex reser.; § 5, Inst. de nupt. — 64. L. 8, supr.; L. ult. infr. h. t. — 65. L. 14, in fin. supr. cod. — 66. L. 45, infr. cod. — 67. L. 1, § 2, infr. de concub.; L. 49, § 1, infr. de legat. § 1, L. 15, in pr. infr. ad leg. Jul. de adult.; 68. L. 197, in r. de reg. jur.; 69. L. 16, in pr. supr.; L. 44, in pr. infr. h. t. — 70. L. 33, infr. de verb. sign.

qua alia pudori suo non parit. — § 1. *Palam* autem sic accipimus, passim, hoc est sine delectu: n'n si qua adulteris, vel stupratoribus se committit: sed quae vicem prostituta sustinet. — § 2. Item, quod cum uno, et altero pecunia accepta commiscuit, non videtur palam corpore quaestum facere. — § 3. Octavenus tamen rectissime ait, etiam eam quae sine quaestu palam se prostituert, debuisse his connumerari. — § 4. Non solum autem ea quae facit, verum ea quoque quae fecit, et [si] facere desiit, lege notatur: neque enim aboletur turpitude, quae postea intermissa est. — § 5. Non est ignoscendum ei, quae obtentu paupertatis turpissimam vitam egit. — § 6. Lenocinium facere non minus est, quam corpore quaestum exercere. — § 7. *Lenae* autem eas dicimus, quae mulieres quaestuaris<sup>71</sup> prostituunt. — § 8. *Lenam* accipiemus et eam, quae alterius nomine hoc vite genus exercet. — § 9. Si qua<sup>72</sup> cautionem exercens, in ea corpora quaestuarium habeat, ut multae adsolent sub praetextu instrumenti cautionis prostitutas mulieres habere: dicendum, hanc quoque *lenae* appellatione contineri. — § 10. Senatus censuit, non conveniens esse ulli senatori, uxorem ducere aut retinere damnatam publico iudicio: quo [iudicio] cuilibet<sup>73</sup> ex populo experiri licet; nisi si cui lege aliqua accusandi publico iudicio non est potestas. — § 11. Si qua calumniae iudicio damnata sit ex causa publici iudicii, et quae praevagationis damnata est, *publico iudicio damnata* esse non videtur. — § 12. Quae in adulterio deprehensa est, quasi publico iudicio damnata est: [proinde] si adulterii condemnata esse conponatur, non tantum quia deprehensa est, erit notata, sed quia et publico iudicio damnata est. Quod si non sit deprehensa, damnata autem, idcirco notatur, quia publico iudicio damnata est: [at] si deprehensa quidem sit, damnata autem non sit, notata erit: ego puto, etsi absoluta sit post deprehensionem, adhuc tamen notam illi obesse debere: quia verum est, eam in adulterio deprehensam: quia factum lex, non sententiam notaverit. — § 13. Non adicitur hic, ut in lege Julia de adulteriis, a quo, vel ubi deprehensam: proinde sive maritus, sive quis alius deprehendisse proponatur, videtur notata: sed et si non in domo mariti, vel patris sui deprehensa sit, erit notata secundum verba legis.

44. PAULUS, lib. 1, ad legem Juliam et Papiam.  
Lege Julia<sup>74</sup> ita cavetur: *Qui senator est, quive filius, neposve ex filio, proneposve ex filio nato, cujus eorum est, erit: ne quis eorum sponsam uxoremve sciens dolo malo habere libertinam<sup>75</sup>, aut eam, quae ipsa, cujusve<sup>76</sup> pater, materve artem ludicram facit, fecerit, neve senatoris<sup>77</sup> filia, neptisve ex filio, pronepsive ex nepote, filio nato, nata: libertino vive, qui ipse, cujusve pater, materve artem ludicram facit, fecerit: sponsa, nuptiae sciens dolo malo esto: neve quis eorum dolo malo, sciens sponsam uxoremve eam habere.* — § 1. Hoc capite prohibetur senatori libertinam ducere, eamve, cujus pater<sup>78</sup> materve artem ludicram fecerit: item libertinus senatoris filiam ducere. — § 2. Non obest, avum et aviam artem ludicram fecisse. — § 3. Nec distinguitur, pater in potestate habeat filiam, necne: tamen iustum patrem intelligendum Octavenus ait, matrem, etiam si volgo conceperit. — § 4. Item nihil refert, naturalis sit pater, an adoptivus. — § 5. An et is nocet, qui, antequam adoptaret, artem ludicram fecerit: atque si naturalis pater, antequam filia nasceretur, fecerit? Et si hujus nota homo adoptaverit, deinde emancipaverit, an non possit duci, ac si talis pater naturalis decessisset? Sed de hoc casu contrarium legis sententiam esse, Pomponius recte putat, ut eis non connumeretur. — § 6. Si postea ingenuae uxoris pater materve artem ludicram facere coeperit: iniquissimum est, dimittere eam debere, cum nuptiae honeste contractae sint, et fortasse jam liberi procreati sint. — § 7. Plane si ipsa artem ludicram facere coeperit, utique dimittenda erit. — § 8. Eas, quas<sup>79</sup> ingenui caeteri prohibentur ducere uxores, senatores non ducunt.

45. ULPIANUS, lib. 3, ad legem Juliam et Papiam.  
In eo iure, quod dicit, *invito patrone libertam quae ei nupta est, alii nubere non posse, patronum accipimus* (ut rescriptio imperatoris nostri, et divi patris ejus continetur) et eum<sup>81</sup> qui hac lege emit, ut manumittat: quia manumissa liberta emptoris habetur. — § 1. Qui autem juravit se patronum, hoc idem non<sup>82</sup> habebit. — § 2. Ne si quidem debet habere, qui non suis<sup>83</sup> nummis comparavit. — § 3. Plane,

71. L. 4, § 2, supr. de his, qui notant infam. — 72. d. L. 4, § 2, verba sive. — 73. § 1, Inst. de publ. iudic. — 74. *Abrogat* N. 78, c. 3; N. 117, c. 6. — 75. L. 13, infr. h. l. 1; L. pen. C. de nupt. — 76. L. 7, in fin. C. de incest. et inutili nupt. — 77. L. 16, in pr. L. 45, § 1, supr. h. l. 1; L. 3, § 1, infr. de donat. inter vir. et uxor. — 78. L. 7, in fin. C. de incest. et inutili nupt. — 79. *Atque* L. 49, in fin. infr. h. l. — 80. L. 51, in pr. infr. cod.; L. ult. infr. de divort.; L. 8, C. de oper. libert. — 81. L. 3, § 3, infr. de bon. libert.; L. 3, § 5, infr. de suis et legit.; L. 10, in pr. supr. de ius vocand. — 82. *Immo vide* L. 8, § 1, supr. d. 1. — 83. L. 3, § 4, infr. de bonis libere. — 84. L. 8, in pr. infr. de iure patronat.; L. 3, § 1; L. 11, infr. de bonis libert.; L. 50, § 2, infr. qui et a quib. manumissi. — 85. L. 3, supr.

si filiusfamilias miles esse proponatur: non dubitamus, si castrensium peculii ancillam manumiserit, competere ei hoc jus: est enim patronus secundum constitutiones<sup>84</sup>: nec patri ejus hoc jus competit. — § 4. Hoc caput ad nuptiam tantum libertam pertinet, ad sponsam non pertinet: et ideo, invito patrone nuncium sponsa liberta si miserit, cum alio nubium habet. — § 5. Deinde ait lex, *invito patrono: invitum* accipere debemus eum, qui non<sup>85</sup> consentit ad divortium: idcirco nec a furioso divertendo solvit se hujus legis necessitate: nec si ab ignorante divertit: rectus enim hic invitus dicitur, quam qui dissentit. — § 6. Si ab hostibus patronus captus esse proponatur, vereor, ne possit ista connumbium habere nubendo: quemadmodum haberet, si mortuus esset: et qui Juliano sententiam probant, dicerent, non habituram connumbium: putat enim Julianus, durare ejus libertae matrimonium etiam in captivitate, propter patroni reverentiam: certe, si in aliam servitutem patronus sit deductus, proculdubio dissolutum esset matrimonium.

46. GAIVS, lib. 8, ad legem Juliam et Papiam.  
Illud dubitationis est, an et qui communem libertam uxorem duxerit, ad hoc jus admittatur? Javolenus negavit: quia non proprie videtur ejus liberta, quae etiam alterius sit. Alii contra visum est: quia libertam ejus<sup>86</sup> esse negari non potest, licet alterius quoque sit liberta: quam sententiam plerique recte probaverunt.

47. PAULUS, lib. 2, ad legem Juliam et Papiam.  
Senatoris filia, quae corpore quaestum, vel artem ludicram fecerit, aut iudicio publico damnata fuerit, impune libertino nubit<sup>87</sup>, nec [enim] honos<sup>88</sup> ei servatur, quae se in tantum [sedus] deduxit.

48. TERCENTIVS CLEMENS, lib. 8, ad legem Juliam et Papiam.  
Filio patroni in libertam paternam eandemque uxorem idem juris, quod ipsi patrono daretur, ex sententia legis accommodat. Idemque dicendum erit et si alterius patroni filius, vivo altero, libertam eorum uxorem duxerit. — § 1. Si ignominiosam libertam suam patronus uxorem duxerit, placet, quia contra legem maritus sit, non habere eum hoc legis beneficium. — § 2. Si uni ex filiis adsignatum alter uxorem duxerit, non idem jus quod [in] patrono tribuendum: nihil enim juris habebit: quia senatus omne<sup>89</sup> jus libertorum adsignatorum ad eum transtulit, cui id pater tribuit.

49. MARCELLUS, lib. 4, ad legem Juliam et Papiam.  
Observandum est, ut inferioris gradus homines ducant uxores eas, quas hi, qui altioris dignitatis sunt, ducere legibus propter dignitatem prohibentur: ac contra, antecedentis<sup>90</sup> gradus homines non possunt eas ducere, quas hi, qui inferioris dignitatis sunt, ducere non licet.

50. *Idem*, lib. 3, ad legem Juliam et Papiam.  
Proxime constitutum dicitur, ut, cum quis libertam suam duxerit uxorem, quam ex<sup>91</sup> fideicommissi causa manumiserit, liceat libertae invito eo nuptias contrahere: puto, quia non erat ferendus is, qui ex necessitate<sup>92</sup> manumisit, non suo arbitrio: magis enim debitam libertatem praestitit, quam ullum beneficium in mulierem contulit.

51. LICINIUS RUFINUS, lib. 4 Regularum.  
Matrimonii causa ancilla manumissa, a nullo alio uxor duci potest, quam a quo manumissa est: nisi<sup>93</sup> patronus matrimonio ejus renunciarerit. — § 1. Si autem filiusfamilias, matrimonii causa, jussu patris ancillam manumiserit, Julianus putat, perinde eam haberi<sup>94</sup>, atque si a patre ejus manumissa esset: et ideo potest eam uxorem ducere.

52. PAULUS, lib. 6, ad Sabinum.  
Incestae nuptiae neque dotem<sup>95</sup> habent: et ideo [omne] quod perceptum est, licet fructuum nomine, auferetur.

53. GAIVS, lib. 11, ad Edictum provinciale.  
Nuptiae consistere non possunt inter eas personas, quae in numero<sup>96</sup> parentum liberorumque sunt, sive proximi, sive ulterioris gradus sint, usque ad infinitum.

de servit. praed. urban. — 86. L. 12, infr. de adsign. libert.; fac. L. 259, in fin. infr. de verb. sign. — 87. *Atque* L. 13, supr. h. l.; fac. L. 48, § 2, infr. eod. L. 29, C. ad leg. Jul. de adult. — 88. L. 1, in fin. C. ubi senator. — 89. L. 1, in pr. infr. de adsign. libere. — 90. L. 44, in fin. supr. h. l. — 91. L. 10, infr. de divort. — 92. *Fac.* L. 84, infr. de hered. insti. — 93. L. 1, § 2, in fin. infr. de aqua quotid.; 98. L. 29, supr. h. l.; L. 11, § 1, infr. de divort.; 94. L. 16, L. 22, infr. de manumiss.; L. 22, infr. de manumiss. vind.; L. 50, § 1, infr. qui et a quib. manumissi. — 95. L. 58, infr. h. l.; § 12, Inst. de nupt.; L. 4, C. de incest. et inutili nupt. — 96. § 1, Inst. de nupt.; L. ult. infr.; L. 14, § 2, supr. h. l.

54. SCAEVOLA, lib. 1 Regularum.  
Et nihil interest, ex justis nuptiis cognatio descendat, an vero non: am et volgo<sup>97</sup> quaesitam sororem quis vetatur uxorem ducere.

55. GAIVS, lib. 11, ad Edictum provinciale.  
Quinetiam nefas existimatur, eam quoque uxorem ducere, quae per adoptionem<sup>98</sup> filia, neptisve esse coeperit: in tantum, ut, etsi per emancipationem<sup>99</sup> adoptio dissoluta sit, idem juris maneat. — § 1. Patris adoptivi mei matrem, aut materam, aut neptem ex filio, uxorem ducere non possum: scilicet, si in familia ejus sim: alioquin si emancipatus fuero ab eo, sine dubio nihil impedit nuptias: scilicet, quia po. emancipationem<sup>100</sup> extraneus intelligitur.

56. ULPIANUS, lib. 3 Disputationum.  
Etiam si concubinam quis<sup>1</sup> habuerit sororis<sup>2</sup> filiam, licet libertinam, incestum committitur.  
57. MARCIANUS, lib. 2 Institutionum.

Qui in provincia officium aliquod gerit, prohibetur etiam consentire filio<sup>3</sup> suo uxorem ducenti. — § 1. [In lib. 2 de adulteriis Papiniani Marcianus notat:] Divus Marcus et Lucius imperatores Flavie Tertullae per Mensorum libertum ita rescripserunt: *Movetur et temporis diuturnitate, quo ignara<sup>4</sup> juris in matrimonio avunculi tui fuisti, et quod ab avia tua collocata es, et numero liberorum vestrorum: idcirco[que] cum haec omnia in unum concurrunt, confirmamus statum liberorum vestrorum in eo matrimonio quaestorum, quod ante annos quadraginta contractum est, perinde atque si legitime concepti fuissent.*

58. *Idem*, lib. 4 Regularum.  
A divo Pio rescriptum est, si libertina senatorum deceiverit, quasi ingenua, et ei nupta est, ad exemplum patris edicti, dandam in eam actionem, quia ex dote nullum lucrum habet, quae nulla<sup>5</sup> est.

59. PAULUS, lib. singular. de Adsignatione libertorum.  
Senatusconsulto<sup>6</sup>, quo cautum est, *ne tutor<sup>7</sup> pupillam, vel filio suo, vel sibi nuptum collocet*, etiam nepos<sup>8</sup> significatur.

60. *Idem*, lib. singular., ad Orationem divi Antonini et Commodi.  
Si quis tutor quidem non sit, periculum tamen tutelae ad eum pertinet, an sententia orationis continetur, veluti si pupilla ab hostibus capta fuerit, aut falsis<sup>9</sup> allegationibus a tutela se excuserit, ut ex sacris constitutionibus periculum ad eum pertinet? Et dicendum est, hos quoque ad senatusconsultum pertinere: nam et hujusmodi periculum in numerum trium tutelaram computari comprobatur est. — § 1. Sed si propter alterius personam periculum ad eum pervenit, videamus, ne extra sententiam senatusconsulti sit: veluti si magistratus in tutelae periculum incidit, vel fidejusserit quis pro tutore, vel curatore: quia nec in numerum trium tutelaram haec imputantur: et consequens est, hoc probare. — § 2. Quid ergo, si honoris<sup>10</sup> causa tutor datus sit? Quatenus nec hujusmodi tutela in numerum computatur, nunquid idem sit? Sed ratio in contrarium ducit: quod dictum est, [et] honorarium tutorem periculum solere pati, si male passus sit administrari tutelam. — § 3. Quin autem ille, qui cum datus est tutor cessat<sup>11</sup> in administratione, pertinet ad orationem, non est dubitandum: quia perinde tenetur ex sacris constitutionibus, atque si gessisset. — § 4. Quid ergo si, cum se vellet excusare aliquo titulo, nec in promptu probationes haberet, excusationis negotium fuerit dilatum, et inter moras pupilla adoleverit? an ad senatusconsultum pertinet? Quaestio in eo est, an [et] post pubertatem officio finito excusationem ejus recipi oporteat: nam si recipitur, et excusaverit, impune potest ducere: si vero non debeat recipi post officium finitum, non recte ducit. Et ait Papinianus lib. 5 Responsorum, officio finito excusationem recipi non oportere: et ideo exacti temporis periculum ad eum pertinere: sed mihi hoc nequaquam placet: iniquum enim est, propter dilationem, quae forte non dolo, sed [quae] ex necessitate contingit, non excusari, vel nuptias impediri excusatione recepta. — § 5. Quamvis verbis orationis cautum sit, *ne uxorem tutor pupillam suam ducat*, tamen intelligendum est, ne desponderi<sup>12</sup> quidem posse: nam cum qua nuptiae contrahi non possunt, haec plerumque<sup>13</sup> ne quidem

97. *Atque* d. L. 14, § 2, — 98. *Fac.* d. L. 14, § 1, — 99. § 1, verba et haec adeo; Inst. de nupt. — 100. L. 13, supr. de adop.; 1. L. 11, § 1, infr. ad leg. Jul. de adult. — 2. L. 14, § 2, supr. h. l. — 3. N. Leon. 25 L. un. C. si rector province. — 4. L. 4, C. de incest. nupt.; N. 23, . 1, in fin. — 5. L. 82, supr. h. l. — 6. L. 64, § 1, infr. eod.; L. 7, in pr. infr. ad leg. Jul. de adult. — 7. L. 56, supr. L. 62, in fin. infr. h. l.; L. 15, supr. de sponal.; L. 4, C. de interdict. matrim. — 8. L. 101 et 220, § 5, infr. de verb. sign.; *atque* L. 64, § 1, infr. h. l. — 9. L. 1, L. 2, C. si tut. vel curat. fals. allegat., § ult., Inst. de excusat. tut. — 10. L. 3, § 2, infr. de admin. et perc. tut.; L. 14, § 1, infr. de solution. — 11. L. 6, C. de testam. tut. — 12. L. 15, L. 16, supr. de sponal. — 13. *Excip.* L. 10, § 1, supr. de his, qui not. infam. — 14. *Immo vide* § 16, Inst. de excusat. tut. — 15. *Atque* L. 64, § 1, in fin. infr. h. l. — 16. L. 1, § 2, infr. de impens. in res dotal. — 17. L. 2, § 1, infr. de his, quae ut indignis; L. 6, C. de nupt.; L. 38, supr. h. l. — 18. L. ult. infr. de legat. 1. — 19. L. 60, in fin. supr. h. l. — 20. *Atque* L. 38, in fin. supr. eod.; L. 3, C. de interdict. matrim. — 21. L. 6, C. de nupt. — 22. L. 56, supr. h. l. — 23. L. 7, in pr. infr. ad leg. Jul. de adult.; L. 6, C. de interdict. matrim. — 24. *Immo vide* L. 12, supr. de his, qui notant infam.; — 25. L. 37, supr. h. l. — 26. L. pen. in fin. pr. C. de adopt.; *vide* tamen L. ult. C. ubi pupilli.

desponderi potest: nam quae duci potest, jure despondetur. — § 6. Quid ergo, si adoptivus filius tutoris duxerit pupillam illicite, postea jure emancipatus fuerit? Credendum est, de adoptivis emancipatis senatum non sensisse: quia post emancipationem in totum adoptivae familiae obliviscuntur. — § 7. Naturales liberi, licet in adoptionem dati fuerint, senatusconsulto continentur. — § 8. Quid ergo, si tutor datus provocavit<sup>14</sup>, et postea heres ejus victus est? praeiteriti temporis periculum praestare debet? an vero, si filius heres fuerit, et victus est, ad orationem pertinet? Et consequens est, hoc probare, quoniam rationem<sup>15</sup> debet red dere.

61. PAPINIANUS, lib. 32 Quaestionum.  
Dote propter illicitum matrimonium caduca facta, exceptis impensis necessariis, quae<sup>16</sup> dotem ipso jure minuire solent, quod iudicio de dote redditurus esset, maritus solvere debet.

62. *Idem*, lib. 4 Responsorum.  
Quamquam in arbitrio matris pater esse voluerit, cui nuptum filia communis collocaretur, frustra tamen ab ea tutor datus eligitur: neque enim intellegitur pater de persona tutoris cogitasse: cum ideo maxime matrem praetulit, ne filiae nuptias tutori committeret. — § 1. Mulier liberti viri ac patris sui mala ratio conjugatur. — § 2. Tutor, qui rationes curatori reddidit, puellam suam ante constitutum tempus etatis ejus uxorem ducere, nec matrem ex alio matrimonio factam, potest.

63. *Idem*, lib. 4 Definitionum.  
Praefectus cohortis, vel equitum, aut tribunus, contra interdictum<sup>17</sup>, ejus provinciae duxit uxorem, in qua officium gerebat: matrimonium non erit: quae species pupillae comparanda est, cum ratio potestatis nuptias prohibuerit. Sed an huic quoque, si virgo nupsit, non sit auferendum quod testamento relictum est, deliberari potest? Exemplo tamen pupillae nuptae tutori, quod relictum est<sup>18</sup> potest mulier consequi: pecuniam tamen in dotem datam, mulieris heredi restitui necesse est.

64. CALLISTRATUS, lib. 2 Quaestionum.  
Libertum, eundemque tutorem pupillae, eo quod in matrimonio collocata ipsi tutori suo, vel filio ejus est, senatus relegandum censuit. — § 1. Senatusconsulti, quo prohibentur tutores et filii eorum pupillas suas ducere, puto heredem quoque tutoris extraneum sententia adprehendi: cum ideo prohibuerit hujusmodi nuptias, ne pupillae in re familiari circumscribantur ab his, qui rationes<sup>19</sup> eis gestae tutelae reddere compelluntur. — § 2. Tutor autem pupilli non prohibetur filiam<sup>20</sup> suam collocare pupillo suo in matrimonio.

65. PAULUS, lib. 7 Responsorum.  
Eos, qui in patria sua militant, non videri contra mandata ex eadem provincia uxorem ducere: idque etiam quibusdam mandatis contineri. — § 1. *Idem* [eodem] respondit: Mihi placere, etsi contra mandata contractum sit matrimonium in provincia, tamen post depositum officium, si in<sup>21</sup> eadem voluntate perseveraverit, justas nuptias effici: et ideo postea liberos natos ex justo matrimonio, legitimos esse.

66. *Idem*, lib. 2 Sententiarum.  
Non est matrimonium, si tutor<sup>22</sup> vel curator pupillam suam intra vicensimum et sextum<sup>23</sup> annum non desponsam a patre, nec testamento destinatam, ducat uxorem, vel eam filio suo jungat: quo facto uterque infamatur<sup>24</sup>, et pro dignitate pupillae extra ordinem coeuret: nec intertest filius sui juris, an in patris potestate sit. — § 1. Curatoris<sup>25</sup> libertum, eam pupillam cujus patronus res administrat, uxorem ducere, satis incivile est.

67. TRYPHONINUS, lib. 9 Disputationum.  
Non solum vivo tutore, sed et post mortem ejus, filius tutoris ducere uxorem prohibetur eam, cujus tutela rationi obstrictus pater fuit. Nec puto interesse, exstiterit ei heres filius, an abstinerit paterna hereditate, an nec heres fuit, forte exherodatus: aut praeteritus emancipatus: nam et fieri potest, ut per fraudem in eum collocata bona patris propter tutelam revocari oporteat. — § 1. De uno dubitari potest: si avus tutelam gessit neptis ex filio emancipato natae, an nepoti ex altero filio eam collocare possit, sive emancipato, sive manenti in potestate: quia *par affectionis causa suspensionem fraudis amovet*<sup>26</sup>? Sed etsi senatus-

L. 16, supr. de sponal. — 17. *Excip.* L. 10, § 1, supr. de his, qui not. infam. — 18. *Immo vide* § 16, Inst. de excusat. tut. — 19. *Atque* L. 64, § 1, in fin. infr. h. l. — 20. L. 1, § 2, infr. de impens. in res dotal. — 21. L. 2, § 1, infr. de his, quae ut indignis; L. 6, C. de nupt.; L. 38, supr. h. l. — 22. L. ult. infr. de legat. 1. — 23. L. 60, in fin. supr. h. l. — 24. *Atque* L. 38, in fin. supr. eod.; L. 3, C. de interdict. matrim. — 25. L. 6, C. de nupt. — 26. L. 56, supr. h. l. — 27. L. 7, in pr. infr. ad leg. Jul. de adult.; L. 6, C. de interdict. matrim. — 28. *Immo vide* L. 12, supr. de his, qui notant infam.; — 29. L. 37, supr. h. l. — 30. L. pen. in fin. pr. C. de adopt.; *vide* tamen L. ult. C. ubi pupilli.